D. F.

ANNOTATIONES JURIS FEUDALIS AD LUCUBRATIONES J. R.

EXERCITATIO UNDECIMA

DE

SUCCESSIONE FEUDALI,

Quam

PRÆSIDE

D. BARTHOL. LEONHARDO SVENDENDÖRFFERO,

Juris Antecessore,

Publice defendendam suscipit

M. JOH. FRIDERICUS OLEARIUS, Lips.

Juris Utriusque Candidat.


In Auditorio Juridico Lipsiensi

Die 1. Februarii MDCC.

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTIANUS SCHOLVINUS.





CAPUT VII.
DE SUCCESSIONE FEUDALI.

SUMMARIA.

§. XXIII.

DE Successione jam reliqvum est ut videamus. Ubi notandum quod de Jure Civili duplex detur succedendi ratio, una testamentaria, altera legitima. De prima Jus Feudale non est sollicitum, cum nemo de Feudis utiliter testari possit in præjudicium Domini & Agnatorum, *1.F.t.* 8. nisi Feudum vel absolute sit hæreditarium, vel

Teſtamentum conſenſu Domini & Succeſſorum Legitimorum ſit ordinatum. *Bocer. th. 34. diſp.* 15. Alteram quod attinet, Jus Cvile tres ejusdem conſtituit lineas, unam aſcendentium, alteram deſcendentium, & tertiam collateralium. Primam illarum Feudiſta quoque non curat; Aſcendentes enim de Jure Feudali non ſuccedunt 2. *F. t.* 50. in linea ſcilicet recta, in transverſali enim eos ſuccedere poſſe tradit Borcholt. *num.* 85. *c.* 7. *per text.* 1. *F. t.* 9. *fin.* & ſi in Inveſtitura id expreſſum ſit. *Duar.* c. 11. *num.* 11. *per text.* 2. *F. t.* 48.

DE SUCCESSIONE,) *Succeſſio Feudalis*, quæ etiam *Succeſſio feudi* 1. *f.* 8. 2. *f.* 11. & 50. ut & *beneficii Succeſſio* 2. *f.* 11. appellatur, ita dicitur tum propter *objectum*, quod fiat in feudo 1. *f.* 8. 2. *f.* 20. tum propter *ſubjectum*, quod competat perſonis feudalibus, 1. *f.* 1. §. 3. 1. *f.* 24. 2. *f.* 11. 30. 45. 50. 113. tum propter *fundamentum* & *originem*, quod feudali jure ſit introducta 1. *f.* 1. §. 2. 3. 4 *f.* 8. 2. *f.* 11. 30. Et quamvis in *generali acceptione* Feudalis ſuccesſio ſumatur pro quavis feudi aperti devolutione, quæ ex variis cauſis contingit 2. *f.* 24 §. *fin.* 2. *f.* 26. §. 5. 2. *f.* 31. 2 *f.* 27. In *ſpeciali* tamen *ſignificatu* ſi ſumatur, reſtringitur ad caſum mortis 1. *f.* 8. 2. *f.* 11. Et ſic eſt *Succeſſio, qua feudum a Vaſallo mortuo relictum ad alium habilem transmittitur.* 1. *f.* 8. 2. *f.* 1. 11. 24. §. *fin.* 2. *f.* 26. § 5. 2 *f.* 31. 33. 50.

Eſtque 1. vel *Communis*, quæ defertur ex Jure communi, vel *ſingularis*, quæ obtinet ex Jure ſpeciali & locali.

2. Vel

2. Vel *Personarum conjunctarum* vel *extranearum* 2. *f.* 11. 2. *f.* 50. Illa est vel *Descendentium* 1. *f.* 1. & 3. vel *Adscendentium* 2. *f.* 84. vel *Collateralium*, tam *Cognatorum*, quam *Agnatorum* 1. *f.* 8. 2 *f.* 1. 2. *f.* 50. vel *Conjugum*, 1. *f.* 15. 2. *f.* 85.

3. Vel *Personalis*, quæ competit ex jure proprio, vel *Repræsentativa*, quæ competit ex alterius persona jure Repræsentationis 1. *f.* 8. *pr.*

4. Vel *unius*, vel *plurium*: Et hæc fit vel *in stirpes*, quando circa feudi Divisionem respicitur ad stirpes, unde personæ succedentes descendunt; vel *in capita*, quando feudum inter plures æqualiter secundum numerum personarum dividitur.

5. Vel Feudi *Antiqui* vel *Novi* 1. *f.* 11. 1. *f.* 14. §. 2. 2. *f.* 11. 12. item vel *Feudi nobilis*, vel *non nobilis*.

6. vel *Regularis*, quæ fit juxta ordinarium & jure feudali introductum succedendi modum, vel *Irregularis*, quæ obtinet præter ordinarium succedendi modum. Estque triplex: Alia ratione *subjecti*; alia ratione *objecti*; alia ratione *modi*. Successio Feudalis Irregularis ratione *subjecti* est personæ per se inhabilis, & quidem vel *simpliciter* ob incapacitatem (qvalis est successio fœminæ 1. *f.* 8. 2. *f.* 36. Clerici 2. *f.* 21. 30. 36. vel imperfecti 1. *f.* 6. §. 2. 2. *f.* 36.) vel *secundum quid*, qualis est successio Parentis 2. *f.* 50. 84. Conjugis 1. *f.* 15. 2. *f.* 85. & Cognati 2. *f.* 11. 50. Successio irregularis ratione *objecti* est vel feudi Hereditarii vel Fœminei. 2. *f.* 30. Irregularis Successio ratione *modi* est vel Testamentaria vel Conventionalis; Illa competit ex testamento de feudo facto, vel separatim per specialem feudi legationem, vel conjunctim per generalem cum bonis allodialibus relictionem Ludvv, *de success. feud. cap.* 5. Successio irregularis conventionalis est, quæ defertur ex singulari conventione de succedendo, fitque vel per Expectativæ concessionem 2. *f.* 26. §. 2. vel per pactum successorium 1. *f.* 1. §. 2. 1. *f.* 8. *in fin.* 1. *f.* 14. *in fin.* 1. *f.* 20. 2. *f.* 18. 2. *f.* 90. vel per simultaneam investituram. Struv. *in Syntagm. Jur. feud. c.* 9. *aph.* 13.

7. Vel *Separata* vel *Conjuncta*. Hæc dicitur, quæ fit con-

junctim cum hæreditate *2. f. 45.* Estque vel Necessaria vel Voluntaria *d. l.* Separata est, quæ fit sine agnitione hæreditatis *d. l. p. 2. C. 48.* §. Do aber.

8. Vel *Limitata*, quæ ad certas personas & certum tempus est restricta, vel *Illimitata*.

JUS FEUDALE NON EST SOLLICITUM:) De Succesſione Testamentaria Jus Feudale certo modo est sollicitum, & quidem tam prohibendo *1. f. 8.* quam certis in casibus permittendo. Prohibitio fundatur principaliter in feudi inalienabilitate *2. f. 52. & 55.* quæ impedit dispositionem testamentariam, per quam fit etiam alienatio. *l. 8. §. 3 ff. de Alienat. judic. mut. caus. l. 8. §. 2. C. de Sec. nupt.* Huic accedit, quod feudum conveniat cum usufructu *2. f. 23. in fin.* qui morte finitur §. *3. Inst. de usufr.* Finck. *Disput. Feud. 6. Controv. 6.* Testamenti autem prohibitio est tantum restricta ad feudum jam constitutum & existens, & hoc per testamentum ad alium regulariter transferri nequit *1. f. 8.* adeoque non pertinet ad feudum constituendum & inducendum; De hoc enim, ut fiat, Dispositio testamentaria interdicta non est.

CONSENSU DOMINI;) Sicuti per hujus accesſionem non tribuitur testamenti factio, quæ est juris publici *l. 3. ff.* qui testam. *fac. poss. l. 13. C. de Testam.* Sed tantum obstaculum inalienabilitas removetur: ita requiritur consensus expressus, ita ut præsentia & taciturnitas pro consensu non habeatur: Non obstante, quod in favorem ultimæ voluntatis benigna fiat interpretatio *l. 12. ff. de R. J. cap. 6. X. de Donat.* Id enim procedit tantum respectu testantis, non vero respectu tertii, qui tacendo pro consentiente non habetur, *cap. 43. de R. J. in 6.* prælertim cum testamentum de feudo factum ad jus agnatorum imminuendum tendat, quo casu tacens habetur pro invito ac contradicente *l. 5 ff. de Servit. præd. urban.* Wissenbach. *ad l 142. ff. de R. J. num. 6.* Quo attento nullum faciendum discrimen inter alienationem inter vivos & mortis causa, nec præsupponendum, quod in hac sit in mora periculum. Sicut enim hoc non semper circa testamenti ordi-

ordinationem adest, ita quoque in alienatione inter vives potest contingere.

ASCENDENTES NON SUCCEDUNT) Et quidem nec in feudo antiquo, nec in novo, non in hoc, quia feudum accipiens sibi tantum & posteris accipit, ad quos ascendentes referri nequeunt; non in isto, quia ascendentes non amplius superstites sunt quoniam ab his feudum ad filium defunctum jam olim pervenit. Bitsch. *ad tit. 2. f. 50. Notab. 1.*

PER TEXTUM 1. f. 19. in fin.) In allegato textu non agitur de succesfione ascendentium, sed de succesfione collateralium, nimirum Patrui, qui Vasallo fine liberis mortuo ad succesfionem feudi antiqui admittitur. Bitch. *ad d. t. enunciatione 3.* Poterunt tamen adscendentes politis terminis habilibus ad succesfionem liberorum admitti, & tunc quidem, quando iis viventibus descendentes in feudo antiquo succedunt; Quod contingit, si Pater in gratiam filii feudum paternum refutavit, vel avus consentiente filio feudum in nepotem transtulit, vel si quis feudum transtulit in fratris filium, iisque casibus omnibus Vasallus possessor fine liberis moriatur: Ad hos tamen casus non videtur referendus, quando feudum filio concessum est ob merita patris Schrad. *de feud. p. 2. c. 6. num 4.* Multo minus quando feudum novum jure feudi antiqui fit concessum: Non obstante, quod in eo fratres admittantur; id enim fit ex ipsa juris feudalis dispositione *2. f. 50.* quæ tamen contra expressam prohibitionem ad adscendentes extendi neqvit. Unde nullam involvit vel iniquitatem vel absurditatem: fin ad scendentes collateralibus in Succesfione feudali postponantur; Hi tamen cum istis iis in casibus, ubi ad succesfionem feudi admittuntur, non concurrunt, quia ascendentes non solum quoad lineam, sed etiam quo ad gradum sunt proximiores, adeoque *N. 118. c. 3.* qua fratres una cum Parentibus ad succesfionem fratris admittuntur, obtinet tantum in allodialium succesfione, & ad feudalem non porrigenda. Struv. *in Syntagm. Juris feud. c. 9. aph. 3. n. 3.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Secunda igitur linea liberorum eſt, quorum nomine hic ſoli filii, & nepotes intelliguntur, filiabus & nepotibus neptibusve ex filia natis excluſis. 2. *F.t.* 11. 34. § 2 *ibi de ſolis maſculis.* & *t.* 50. *pr.* Ratio a fine Feudorum deſumpta eſſe videtur, ad quem ſervitia bellica, ad quæ fœminæ inidoneæ ſunt, ſpectant. Ut taceam fragilia earum conſilia, quibus adverſus propria commoda plerumque laborant, *l.* 4. *C. de Sponſ.* & ſæpe in perniciem ſubſtantiæ earum deducuntur. §. 1. *Inſtit. quibus alien. licet vel non.* Succedunt autem filii in Feudo æqualiter. 1. *F. t.* 1. §. & *quia vidimus.* etiam ex diverſis matrimoniis nati, modo ſint conſanguinei. *Rittersh.* 1. F. *c.* 15. *num.* 8. Fallit tamen in Feudo individuo dignitatem annexam habente, ubi ſolus ſuccedit primogenitus. *Dd. in* §. *præterea.* 2. F. *t.* 55. *A. B. c.* 24. niſi de conſuetudine Regionis aliter ſit diſpoſitum. *Gail.* 2. *Obſ.* 153. *num.* 2. Inter liberos numerantur quoque legitimati per ſubſequens matrimonium, qui & in Feudis ex veritate practica ſuccedunt. *Dd. in* §. *naturales. ſi de Feud. cont. ſit inter Dom.* & *Agnat.* & pro his in Camera

ra

ra Imperiali judicatum esse testantur, *Mynſ. cent. 5. obſ. 42. & alii Feudiſtæ paſſim.* Legitimati vero per Reſcriptum Principis Jus in Succeſſione quæſitum nemini auferre poſſunt. *Carpzov. in J. F. p. 2. c. 6. n. 27.* Quæritur; an exhæredati liberi in Feudo ſuccedant? A. Nulla enim, uti ſupra docuimus, circa Feudum defuncti ordinatio valet. *d. t. 1. F. 8.* Niſi in Dominum deliquerint, & ejusmodi ſit exhæredationis cauſſa, *Weſemb. c. 6. num. 9.* Quæritur; ſi liberi exiſtant gradu inæquali, quomodo ſuccedatur? Reſp. inæqualiter, & hi qui jure repræſentationis veniunt, tantum partem patris ſui accipiunt. *d. t. pr.*

A FINE FEUDORUM:) Finis feudorum neque primarius neque ſolitarius eſt ſervitiorum exhibitio: ſine hac enim feudum ab initio poteſt exiſtere & ſubſiſtere: Principalis ergo finis eſt familiæ conſervatio, quæ reſpectu fœminarum ceſſat *l. 195. §. pen. ff. de V. S.* hinc & ipſa & ejus filii a ſucceſſione excluduntur. Wurmſ. *de feud. impropr. d. 3 ſ. 3. n. 7. 8. 65. 73. & ſeq.*

PRIMOGENITUS:) Pro tali habetur non modo is, qui ante feudum acquiſitum eſt natus, ſed etiam filius ex primogenito ante Patrem mortuo progenitus: hic quidem propter jus repræſentationis, & propter juris repræſentationis transmisſionem. Ille vero ideo, quoniam in ſuccesſione non tempus dignitatis vel qualitatis acquiſitæ, ſed tempus mortis inſpiciendum. Finck. *Diſp. Feud. 6. Contr. 10. & 11.*

 EX-

EX VERITATE PRACTICA:) Ex veritate autem Theoretica afferendum ac defendendum est contrarium, & quidem ob textum *in tit. 26. 2. f.* §. *naturales.* ubi omnes omnino legitimati sine ulla limitatione a feudi successione excluduntur. Quæ exclusio generalis ac indefinita confirmatur per ampliationem adjectam, quæ non nisi ad legitimatos per subsequens matrimonium applicari poterit, idque ideo, quoniam legitimatio per Rescriptum Principis liberis ex matrimonio natis extantibus locum non habet; Cui accedit, quod jus successionis feudalis statim & ipso nativitatis momento acquiri debeat. Adeoque textus feudalis ad Legitimationem per Rescriptum Principis restringi nequit, nec ulla probatur restrictio ex verbo *Fiant:* quasi legitimati per subsequens matrimonium non fiant, sed ipso jure & vi solius matrimonii sint & existant legitimi: Sicuti enim quilibet legitimatus vi nominis dicitur legitimus factus, ita & legitimatus per subsequens matrimonium in specie justus effici ac fieri dicitur. *l. 5. C. de Nat. lib. N. 89. pr.* Nec movet, quod urgeatur particula *postea*, quasi illa sit referenda ad successionem aliis jam delatam: Nihil enim impedit, quo minus illa particula *postea*, referatur ad tempus nativitatis, cujus respectu omnes, qui legitimantur, postea fiunt legitimi §. *13. Inst. de Nupt.* Non obstante, quod ista particula *postea* in jure feudali denotet tempus post delatam successionem, *2. f. 37.* Quoniam unius positio non est alterius exclusio: Adeoque falsum est præsuppositum, legitimationem liberis naturalibus ad obtinendam successionem ideo non prodesse, quod post eam delatam successionem supervenerit. Quia hoc etiam asseritur de naturalitate *d.* §. *Naturales*, quæ tamen post Patris naturalis mortem supervenisse dici nequit. Bitsch. *ad d.* §. Et quamvis matrimonium omnia purget vitia, *cap. 6. X. Qui filii sint legit.* Ita quidem, ut legitimati vel soli vel cum aliis legitime natis succedant. §. *2. Inst. de hæredit. quæ ab intest.* id tamen restringendum est ad effectus Juris Civilis & Canonici, adeoque ad Jus feudale feudique successionem contra expressum Textum minime extendendum *2. f. 1. vers. legum. Bach. ad Tr. Vol. 1. Disp. 2. th. 6. lit. T.*

AN

AN EXHÆREDATI:) Exheredati & ab hereditate exclusi in feudo ideo succedunt, quia exheredatio est quid odiosum, adeoque extendi non debet ad ea, quæ non sunt exheredationis objectum, qualia sunt, quæ debentur non jure hæreditario, sed jure singulari *l. 114. § 15. & 16. ff. de leg. 1.* Datur ergo casus, quo filius hæreditate paterna non adita in feudo paterno succedit præter textum *2 f. 45.*

NISI:) Quia nulla circa feudum valet ultima Vasalli ordinatio *1. f. 8.* & extra hanc non fiat exheredatio *§. 2. Inst. de Codicill. l. 2. C. eod. l. 14. C. de Testam.* ac præterea feudi privatio non stet penes Patrem, sed penes Dominum, per quem Vasallus si tale quid contra eum committat, quod filius contra Patrem committendo exheredationem meretur, feudo privari potest *2. f. 24. § 2. vers. prædictis modis.* Rosenthal. *de feudis Concl. 7. num. 10.* hinc exheredatio ad feudum extendi nequit: & licet ea subsistat in allodiis, in feudo tamen propter jus acquisitum filiis non præjudicat. Kirchb, *de feudo ex pacto & provid. c. 5. num. 65. & seqq.* utut autem filii excludi nequeant a feudi successione directo & per exheredationem: poterit tamen istis feudum adimi per indirectum & per consequentiam, si nimirum in allodio heredes sint instituti, alterique vel filio vel filiæ vel etiam extraneo feudum sit relictum. Dn. Rhetz. *in Comm. ad Jus feud. l. 1. tit. 8. p. 312. num. 3.*

XXV.

Si secundæ lineæ nulli sint successores, jus succedendi ad Collaterales, si Feudum sit Paternum, devolvitur; *2. F. t. 11. § his vero. & t. 50.* Ubi tamen vocantur Agnati, remotis cognatis, propter favorem conservandarum familiarum, quas Dominus eligit. *Borch. num. 78. c. 7.*

Ex his igitur Masculi, si quidam primi gradus sint, & soli extent, juxta morem Juris Civilis, Feudum inter se æqualiter dividunt; *d.t.2.F.*11. Si vero soli non sint, sed ipsis cum aliis concurrere necessum sit; puta vel fratribus consanguineis, vel fratrum filiis, succesio priori casu sit secundum capita, *arg. Carolinæ. Ann.* 1529. *Spiræ promulgatæ. Gail.* 2. *Obs.* 151. posteriori vero secundum stirpes, 2. *F. d. t.* §. *si vero.* & *ibi Dd.* Quæritur; Si fratres prædicti deficiant, qui in ordine de Jure succedant? R. Agnati omnes, & quidem qui gradu sunt proximiores, secundum capita in infinitum, exclusis semper remotioribus. 2. *F. t.* 11. & 31. Ubi tamen notandum, quod in ea proximitate semper prærogativa Lineæ & fibrarum spectari soleat. 2. *F. t.* 50. *fin.* & *ibi Bocer. class.* 4. *disp.* 15. *thes.* 30. Tandem si nulli adsint Collaterales, descendentium quoque Patruus, vel Patruus Magnus, admittitur, *per text.* 1. *F. t.* 19. *fin. Borch. n.* 85. *c.* 7. Et hæc succesio Agnatorum non solum locum habet mortuo Vasallo, sed etiam ob culpam aliquam Feudum amittente, quæ

cul-

culpa pro morte quoad Feudum habetur. *Rittersh. n.16. c.16.*

FRATRUM FILIIS:) Et ad hos solos restringendus est successionis concursus cum fratribus, adeoque ad fratrum nepotes non extendendus, cum Jure quoque Civili jus repræsentationis in linea collaterali restrictum sit ad primum gradum, nimirum ad solos fratrum filios. *N. 118. c. 3.*

IN INFINITUM:) Textus ergo *2. f. 26. §. Si vasallus culpam* una cum aliis, ubi successio collateralium ad certum gradum restringitur, accipiendus est jure antiquo Bitsch. *ad d. tit. p. 459.* Ex Capitulo vero *52. f. 2. §. 1.* in fine quod successio regulariter in infinitum non fiat, sed tum demum, cum id inter primum acquirentem & Dominum feudi conventum fuit, non probatur, tum quod totum capitulum habeatur pro suspecto, & hinc in quibusdam editionibus omissum. Hartm. Pistor. *l. 2. q. 1. n. 4. & q. 47. num. 42.* tum quod verba: *si hoc actum*, habeantur pro suppositiis, quippe quæ in Cap. extraordinario 93. ubi totum capitulum *ex tit. 52.* repetitur, non legantur. Bitsch. *ad tit. 50. f. 2.* tum quod dicta verba non sint præcise referenda ad proxime præcedentia, & ad successionem in infinitum, sed ad superiora, quæ concernunt feudum ligium. Finck. *Disp. feud. 6. contr. 37.*

NOTANDUM:) Illud præterea circa Collateralium successionem observandum, proximitatem successoris non æstimari ratione primi acquirentis, sed ratione Vasalli ultimo defuncti: Successio enim feudi fit eo modo & ordine, quo fit Successio ab intestato *2 f. 37. pr.* ibique Bitsch. *notab. 8.* in qua consideratur proximitas respectu ultimi morientis *l. fin. ff. de suis & legit. hæred.* a quo etiam successio defertur: His accedit, quod si æstimaretur proximitas respectu primi acquirentis, Successiones turbarentur, & posset evenire, ut a liberis morientis ad collaterales

remotos feudum devolveretur: Non obstante, quod omnes primo acquirenti dicantur succedere: Dist. enim inter *successionem immediatam* & inter *mediatam*. Ludvv. *de successione feudi p.217.* Proximitatis autem ratio non habetur iis in feudis, in quibus succeditur ex jure Majoratus: qui respicit totam familiam, ita ut qui senior est totius familiæ, potior sit in successione, quo ipso differt a jure Primogenituræ, quod pertinet ad lineam primogenitam, ac neminem ex alia linea admittit, quousque ex illa quis superfit. Dn. Rhet. *in Comm. ad Jus Feud. l. 1. tit. 8. p.310. n.* 11.

ETIAM OB CULPAM ALIQUAM:) Non itaque omnem, sed illam solummodo, quæ in extraneum est commissa. *2. f.31.37.* ob culpam enim in Dominum sive directo sive per indirectum commissam feudum revertitur ad Dominum, ita tamen, ut post Vasalli delinquentis, ejusque filiorum mortem agnatis deferatur *1. f. 5. §. his omnibus 2. f. 24. §. fin. 2. f. 37. 2. f. 55. §. callidis.* Struv. *in Syntagm. Juris feud. cap. 15. aph. 14.*

XXVI.

Et ut breviter rem expediam, prohibentur 1. in Feudo regulariter succedere, uti sæpius dictum, fœminæ, 1. *F. c.* 1. §. 2. 3. nisi pacto, vel Investitura aliter cautum sit 2. *F. t.* 2. §. 2. *& t.* 30. 2. Naturales. 2. *F. t.* 26. §. *Naturales. & ibi Dd.* Secus est si fuerint Legitimati per subsequens matrimonium. *vid. supra.* §. 24. *in verb. inter liberos.* 3. Adoptivi 2. *F. t.* 26. §. *adoptivus.* Adoptio enim jus sanguinis, cui Feuda dantur. *Cujac. 3. Feud. t.* 10.

non

non adfert. *l. qui in adoptionem 33. ff. de adopt.* 4. Aſcendentes. *de quibus ſupra d. t.* 50. 5. Qui vivente Vaſallo Dominum offenderunt, & Feloniam commiſerunt. *per text.* 2. *F. t.* 55. §. 2. 6. Clerici, qui habitum Religionis aſſumſerunt. §. *qui Clericus.* 2. *F. t.* 26 *confer. t.* 21. *fin.* & *t.* 30. 7. Imperfecti, ut mutus, ſurdus, cœcus, & alii, qui ad ſervitia præſtanda natura ſunt inepti. 2. *F. t.* 36. *fin.* De quibus tamen notandum, illis alimenta, ſi aliunde non habeant, ut ſe ſuſtentare poſſint, ex Feudo deberi. 1. *F. t.* 6. *fin.* Si vero defectus aliquis poſt acquiſitionem Feudi ſupervenerit, amiſſionem metuere neceſſum non habent. *Schulz. Syn. F. c.* 8. *num.* 105. 8. Fratres uterini, in ſucceſſione nimirum Collateralium quia cognati. 2. *F. t.* 11. *Hattyſ. in Syn. Feud. p.* 65. 9. Frater fratri & cæteri Collaterales, in Feudo Novo, 1. *F. t.* 1. §. 2. & *t.* 8. *fin.* niſi ſpecialiter in Inveſtitura hoc ſit proviſum. *Gail.* 2. *Obſ.* 50 *num.* 2. & 151. *num* 4. Conjuges 1. *F. t.* 15 *pr.* 2. *F. t.* 13. *fin.* 11. Fiſcus: deficientibus enim Agnatis, Feudum ad Dominum revertitur. 1. *F. t.* 8. §. 1. *Matth. Steph. Exeg. Jur. Feud. part.* 3. *concl.* 66. Et ſic perluſtratis breviter

viter constituendi & acquirendi Feudum modis, ad Finem ejus pergimus.

NISI:) Nisi quoque sit feudum mere hereditarium (in feudo enim hereditario secundum quid & quoad modum succedendi fœminæ non succedunt. Carpzov. *p. 3. C. 28. def.* 11.) vel Fœmineum. In quo tamen non nisi deficientibus masculis regulariter admittuntur 1. *f. 6. & 8. 2. f. 17. 30. 50. 51.* sive hi descendant ex masculo sive ex fœmina *2. f. 17.* Licet autem fœminæ masculis extantibus non succedant, non tamen in perpetuum sunt exclusæ. 1. *f. 8. §. fin. 2. f. 17.* Nec exclusio perpetua potest demonstrari ex 1. *f. 6.* §. 1. Dist. enim inter omnimodam a jure succedendi exclusionem, & inter non admissionem in casu, quo masculi existant. Vultej. *de feud. l.* 1. *c. 9. num. 53.* Nec obstat, quod fœminæ ad feudi successionem admittantur sub conditione, si masculi non existant, quæ conditio masculo existente deficit, eaque deficiente deficit ipsa dispositio in perpetuum, nec casu postea existente revivisct *l. 109. ff. de Cond. l. 6. §. 2. C. ad Sc. Trebell.* Dist. enim inter veram ac formalem conditionem, & inter simplicem dilationem. *l. 5. C.* Quando dies legat, cedat. Finck. *Disp. Feudal. 6. Controv* 27. Hoc præterea circa fœminæ successionem est tenendum, eam, sin realiter succedat, feudum masculo postea nato non teneri restituere, sed hoc ad dies vitæ possidere valet. *2 f. 51. §. similiter.* nisi successio delata fuerit sub conditione, quod fit, si uxor prægnans a defuncto relinquatur, & nascatur filius posthumus, quo in casu fœmina feudum occupatum debet restituere, quia conditio sub qua fœmina est admissa per posthumi nativitatem deficit. Hartm. Pistor. *l. 2. q. 35. num.* 11.

JUS SANGVINIS:) Cumque id deficiat quoque in unione prolium, per hanc assumti liberi seu uniti neque in feudo ante unionem, neque post eam acquisito succedunt, nec habetur respectus, an sint soli, an vero cum liberis naturalibus concurrant.

Harpr.

Harpr. *ad §. 12. Inst. de Adopt. num. 28.* Idem quoque obtinet in filiis Morganaticis, qui ex matrimonio ad morganaticam (tam primo quam secundo) inter virum illustrem & fœminam inferioris conditionis contracto sunt nati. Hi namque certa portione assignata ad successionem feudi paterni sunt inhabiles *2 f. 29.* Cui videtur contradicere *tit. 26. §. filii nati, 2. f.* ubi filiis ex matrimonio ad Morganaticam contracto nati admittuntur ad feudi successionem: sed cessat contradictio, si reprobetur lectio affirmativa, & approbetur communiter recepta negativa, quam etiam suadet subjecta ratio. Bitsch. *ad d. t. Not. 1. p. 454.* adeoque distinctione a Struvio *in Syntagm. Juris feud. c. 9. aph. 5. n. 9.* a diversitate pacti desumta opus non est, præsertim cum eam generalitas non videatur admittere: Sicuti autem ad exclusionem a successione feudali respectu filiorum morganaticorum, ut procedat ob mutationem, quæ contingit circa investituræ tenorem, quo omnes filii continentur, requiritur Domini feudi consensus & approbatio. Gail. *l. 2. obs. 27. num. 6.* (quæ etiam necessaria est in exclusionis revocatione Myler. *in Gamologia Pers. illustr. c. 6. num. 37. & seq.*) ita ea est absoluta ac perpetua, adeoque durat, sive existant liberi prioris matrimonii sive soli sint. Bitsch. *ad tit. 29. 2 f. notab. 5.*

FISCUS:) Successio Fisci pertinet ad bona publicata & vacantia seu Domino destituta & ad nullum Successorem devoluta *l. 14. C. de bonis vacant. l. 10.* Feudum vero nec venit in publicationem, nec ullo modo vacans dici poterit: Deficientibus quippe Successoribus feudalibus a parte Vasalli fit apertum Domino & ad eum revertitur *1. f. 13 vers. etsi*, quod non minus obtinet, si feudum ob delictum amittitur *2. f. 24.* adeoque nulla statuenda est exceptio; nec ea admittenda cum Peregrino *de Jure fisci l. 5. tit. 1. num. 71.* in feudo hereditario: Licet enim id certo modo pro re allodiali, & ad heredes quoscunque adeoque etiam extraneos transmissibili habeatur, illa tamen transmissio restringenda est ad

heredes tales, qui vel ab intestato, vel ex testamento succedunt, inter quos fiscus referri nequit. Accedit, quod existente feudi Domino feudum vacans dici nequeat, Rosenthal *de feudis cap. 11, Concl. 12. num. 5.* Domino vero sine successore legitimo decedente Dominium directum, quod pro allodio habetur, ad fiscum devolvitur. Dn.Stryk. *de success. ab intest. cap. 6. art. 2. num.* 27.

AD FINEM EJUS PERGIMUS:) Prius tamen sequentia adhuc videntur monenda.

1. Quod Feudi succesfio non sit universalis, sed singularis, cum non sit juris, sed corporis ac rei, hinc per eam non fit repræsentatio antecessoris, feudumque potest agnosci succesfione universali ac hereditate repudiata *2. f. 45.* Ludvv, *successione feudi c. 1. reg 2.* Non obstat, quod successor feudi sit heres *2. f. 9. 1. f. 12. 2. f 18. 2. f. 26.* § *2.* qui est Successor in universum jus defuncti *§. fin. Inst. per quas person. cuique acquir. l. 24. ff. de V. S. l. 59. . ff. d. R. J.* Dist. enim inter heredem in allodiis, quique ex jure civili succedit, & inter heredem seu successorem in feudis, quique succedit ex Juris feudalis speciali dispositione. Verbum præterea *heredis* non semper accipitur pro successore universali, sed quandoque etiam pro singulari *l. 14. §. 1. ff. de Usucap. l. 170. l. 219. ff. de V. S.*

2. Quod succesfio feudalis respectu filiorum sine hereditatis agnitione non admittatur. *2. f. 45. 2. f. 51. §. filius.* Idque obtinet sive factum sit inventarium, sive non: valet quoque tam in feudo hereditario, quam ex pacto & providentia: Non tamen procedit, si filius heres esse nequeat, vel ob exheredationem, vel ob hereditatis vivente patre renunciationem, vel ob in re certa factam institutionem. *l. 13. C. de hered. Instit.* vel ob bonorum cessionem: Nec locum habet, si filius specialiter de feudo sit investitus. Berl. *p. 2. Conc. 56. num. 27. & seq.*

3. Quod succesfio feudalis non agnita ad sequentem successorem

ſorem transmittatur: feudum enim non defertur jure hereditario, ſed debetur ex pacto & contractu acquirentis.

4. Quod in ſucceſſione feudali non locum habeat jus accreſcendi: hoc enim obtinet propter conjunctionem §. 8. *Inſt. de Legatis. l 16.ff. Quib. m. uſusfr. amit.* quæ in feudi ſucceſſione non deprehenditur, ſed ea dependet vel a facto primi acquirentis, vel defertur ex ſimultanea inveſtitura: feudum ergo per ſe & ſua natura ad jus accreſcendi recipiendum habile non eſt. Quod ſi ergo feudum per Legatum pluribus conjunctim relinquitur, jus quidem accreſcendi obtinet, id tamen non fit quatenus eſt feudum, ſed quatenus eſt feudum per conjunctionem irregulariter relictum. Quodſi etiam duobus a Principe feudum fuerit donatum, altero ſine ſucceſſore decedente, iſtud ad condonatarium pertinet, & quidem ob largam interpretationem libertatis Principis *l. fin. ff. de Conſtit. Princ. l. un. C ſi liberalit. Imp. Socins Ludw. de ſucceſſ. feud. c. 1. p. 145.*



COROL-

COROLLARIA.

Pacificatio Religiosa vi ac metu non est extorta.

Pacificatio Religiosa per contrariam Sanctionem aboleri nequit.

Pacificatio Religiosa neque per Concilium Tridentinum sublata, neque per Bullam Innocentii X. irritata.

Successor Imperatoris de Pacificatione Religiosa servanda obligatur.